

PK 74

F.R. 51. 14.

Bernhardi

IV, 208

Za
2143

MUSICAM
HARMONIA SCIENTIARUM FERÉ
OMNIUM PRIMAM
Et *Illustres simul Scientias,*
Una cum
AMPHIONE & ARIONE
GERMANICO,
NOBILISSIMO & AMPLISSIMO
DOMINO
CHRISTOPHORO
BERNHARDI,
Serenissimo
DUCI-ELECTORI SAXONI
in Ejusdem Ætate Prima à Literarum Institutionibus,
& in Aula *ELECTORUM TRIUM*, Mufices
DIRECTORE
Excellentissimo,

Dresdæ, Die 14. Novembr. MDCXCII.

Piè Defuncto,

CUJUS EXUVIÆ

Die 22. Mensis Ejusdem,

Communi nostrum Parenti, Solenni Christianorum

Ritu Mandantur

Interiisse,

Amore Amici, Scientiarum & Artium.

Dolet

AMICUS.

DRESDÆ

Excudebat **JOHANNES RIEDELIUS.**





Eleberrimi **BERNHARDI**
Eheu! jam lugemus Urnas,

Urnas autem lugemus non Solius *Musici*,
Nec Musices Directoris seu Magistri,
Sed Lingvarum & Scientiarum simul Doctissimi,
Earumque Doctoris, Multorum Maximi,
Non enim Doctorem facit Infusa; sed Scientia,
Nec Sola Scientia; sed Ejusdem Directrix **Conscientia**,
Sine quâ, Scientia Malitia est Diabolica.

JIVI nostro Saxonico *Bernhardi* fuit Idem,
Qui Alexandro Magno fuit Aristoteles,
Augusto & Trajano Imp. Apollodorus & Plutarchus,
Et Carolo V. Itidem Augustissimo, Hadrianus.



Musica Ipsa, Res non Terrestris; sed Cœlettis est & Divina,
Quæ ad Sanctissimum SS. Trinitatis ascendit **Thronum**,
Ubi Harmonia est Omnium Exquisitissima,
Et inde descendit in Univerfa hujus Mundi,
Præprimis in **HOMINEM** Mundi Principem,
Qui à Creatore sanctâ cum Ipso creatus Consonantiâ,
Sed ab Eadem dissonuit Svadente Diaboli Voce,
Principiò quidem dulcisonâ, brevi autem pòst Horrisonâ
Quàm Dulcis fuisset Conventus Musicus **DEI**, Angelorum & Hominum?
Nil nisi **Musica** Mundus esset totus, & Homines Omnes Musici!
Superstitit tamen Harmonia in Natura,
Et Homini restituta est per Ecclesiam, ubi floret **Musica**,

Extra

Extra illam verò auditur nulla, nec sunt Artes, nec scientiæ,
Hinc Ecclesiæ Hostis Satan, Hostis quoque est Musices, Eam fu-
git, & eâ fugatur.

Translata est Harmonia ab Ecclesia in Politiam Regnorum
Et sine illa non est nisi Barbaries & Vita Cyclopica.

* * *
Harmoniâ suâ **Scientias** ferè Omnes superat **Musica**,
Et Ignorans Musices Græcis erat Indoctus.

Nullibi quoque Harmonia observatur accuratior quam in **Musica**,
Et juxta Ejusdem Concentum tractavit **Scientias** noster **Arion**,

Hinc *Jovis Saxonici* Educationi Nemo adhibitus dignior,
Flexit enim Illius, Ejusdemque Fratris Mentis ad Harmoniam

Verbi Divini,

Docuit Ambos cum Lingvarum Triade Scientias Practicas,

Nec non Mathematicam & cum Eâ **Geographiam**,

Ut Universum percurrerent Orbem Principes cum essent Domi,

Noverant Imperia & Regna lingvis cum Exoticis in Patria,

Et cum Illa viderent Ipsi, parum viderunt novi, quod antea non noverint.

Quod Mirabilius est, loquebantur Italicè & Gallicè lingvâ Germanicâ,

Loquebantur autem tam delicatè, ut viderentur didicisse lingvas Ro-
mæ & Parisiis.

* * *
Cognoscitur ex Musica Natura Universi & Politia,

In illa enim IV. Voces canunt & auditur Una,

In **Unum** Coeunt plures & perit nulla, miscentur, non confunduntur,
Pugnant Plures ut Hostes, & dissentiunt, sed mox consentiunt Amicè.

Sic ex Discordia Concordia, ex Bello Pax, ex diversis unum.

Eadem Pugna & Contentio est in IV. Elementis.

Ubi Calidum pugnat cum frigido, & cum Sicco Humidum,

Excitat autem Calor siccitatem & Hæc mitigat Calorem

Humiditas reprimat Frigiditatem & Frigus humiditatem

Hæc Contraria dum ita pugnant, Naturæ servatur Harmonia.

* * *
Sunt & IV. in Politia: **Princeps, Nobiles, Cives & Rustici,**

Utinam inter Eosdem Concentus esset Naturalis & Musicus,

Et

2a 2143



Et Sublimis in altum evectus non supprimeret attollendos,
Nec supprimendos attolleret ab imo Assurgens.
Tunc Symphonia esset dulcior, ubi jam est Aphonia & Cacophonia,
In Oeconomia IV. sunt itidem: Maritus, Uxor, Soboles, Servus.



Ubique **Orpheus** noster Vitam totam vixit Harmonicè,
In Foro seu AULA cum Aulicis, in Toro cum Suis.
In Choro Musico vivere non potuit nisi ad Harmoniam Musicam,
Germanis erat Germanus, Italis Italus, Gallis Gallus
Amabant ipsum Galli ut Gallum, Itali ut Italum, Germani ut
Germanum.

Exercens autem Musicam, Memor erat semper Musicæ Angelicæ,
Tandiu vixit, quamdiu in Corpore Harmonicus esset Concentus,
Desiit autem iste, superato à Frigore Calore, & à Sicco, Humido.
Turbatâ Sic Harmoniâ, Evolavit Anima & Vita desiit Ipsa.



Arionem per Mare portatum à Delphino Fabulosum est,
BERNHARDI autem Animam sublatam esse in Coelos ab Angelis,
Non Fabula; sed vera Historia Christianis credenda est,
Vivens enim Ipse **Angelorum Dominum** Mente gestavit
Christophorus.

Chorum suum Musicum non amisit; sed mutavit,
Eundem hîc direxit, in Cœlesti autem Choro dirigitur Ipse;
τῆ κύριε & Magnificat hîc modos noverat Mille,
Sed ibi discit Millies Mille & Simul Ter **Sanctus, Sanctus, Sanctus!**
Inperpetuò vivit Gaudio, & Eodem gaudebunt Omnes,
Qui vivunt hîc Harmonicè & Musicè,
Quorum Discantus sunt Preces, alens Spes **Altus,**
Charitas Proximi & Vita Sancta, **Tenor,**
Tandem Basis Omnium seu **Bassus,**
Vera & Evangelica **Fides.**



W 77

W 6



PK 74

F.R. 51. 14.

Bernhardi

IV, 208

Za
2143

MUSICAM

HARMONIA SCIENTIARUM FERRE

OMNIUM PRIMAM

Et Illustres simul Scie

Una cum

AMPHIONE & A

GERMANIC

NOBILISSIMO & AMP

DOMINO

CHRISTOP

BERNHAR

Serenissimo

DUCI-ELECTORI

in Eiusdem Aetate Prima à Literarum II

& in Aula ELECTORUM TRI

DIRECTO

Excellentissimo,

Dresdæ, Die 14. Novembr.

Piè Defuncto,

CUJUS EXUVI

Die 22. Mensis Eiusd

Communi nostrum Parenti, Sole

Ritu Mandantur

Interiisse,

Amore Amici, Scientiaru

Dolet

AMICUS.

DRESDÆ

Excudebat JOHANNES RIEDELIUS.

